

bilitaciones membrorum pugnantis inferantur, dummodo homicidia non contingant, dabunt domino decano pro huiusmodi excessibus tres fertones. Item pro amputatione unius digiti dimidia marca. Pro amputatione duorum digitorum tres fertones. Pro debilitatione vero unius digiti ferto et duorum dimidia marca dari debet. Item quando ianue in una domo vel fenestre sive fenestra memoratis temporibus infringuntur, vel si fiunt modice lesiones sanguinum aut si pugnatur pugnibus aut si fiant profusiones cerevisie, emendabitur cum fertone; pro enormibus vero lesionibus in facie vel capite vel pro vulneribus ad intestina tribus fertonibus emendabitur, dummodo mors ex talibus vulneribus non sequatur. Si in pugna aliqua fiunt plura homicidia, quodlibet homicidium debet domino decano cum quattuor marcis sepedictorum argenti et ponderis emendari. Et si in pugna aliqua fiat homicidium et alie lesiones sive magne sive parve, sola homicidia emendabuntur eo modo quo superius est expressum. Preterea si in pugna fiunt mutilationes membrorum seu debilitates seu alie lesiones eodem tempore, tunc sola mutilatio debet relictis aliis emendari. Item si in pugna fiant debilitationes membrorum et alie lesiones minores, tunc maior lesio emendabitur et non minor. Item statuimus quod ille quem accusat scabinus, quod pugnam inceperit, quod hunc excessum domino decano ut predicatur emendabit. Preterea si dominus decanus vel suus viceprepositus culpam dederit scabino, quod iniuste accusaverit, illi qui tum convenerunt sive sint iurati ecclesie sive aldermanni villarum unus sive plures iurabunt cum eo, et si unus eorum iurare noluerit, causa debet perdita reputari et periurantes domino decano periurium emendabunt. Ne igitur prefatus dominus decanus in huiusmodi emendis sibi dandis per aliquorum astutiam defraudetur, omnes emendas supradictas extorquebunt advocati ecclesiarum in Wangia ab eo qui accusatus fuerit a scabino infra tringinta dies primos postquam accusatio fuerit instituta, et si debito tempore suam emendam non dederit, accusatus ipsam dabit duplicatam, quam si dare neglexerit, a viris reliquiarum proscribi debet. Verumtamen iidem viri reliquiarum domino decano predictam emendam solvere non cogentur. Adicimus eciam ut omnes cause que non fuerunt accusate tempore litis accusentur in synodo autumnali proxime subsequenti. In quorum omnium testimonium presentia sigillis capituli ecclesie Bremensis et dicte terre Wangie fecimus communiri.

Acta sunt hec et statuta anno domini Millesimo CCC^o XII. in die Stephani pape et martiris.
